

RUPERTUS Abb. Tuitiensis † 1135. COMMENTAR. in utriq. Test. seu LL. 42. de Trinitate; in Proph. minores; in Job; in Ecclesiasten; in Cantica; in Evang. Joannis; in Apocalypsin; LIBROS 8. de Rege David; 13. de gloria Filii hominis; 9. de gloria Trinitatis et processione Sp. S.; 13. de Victoria Verbi Dei; 12. de Div. Officiis; 3. Dialogorum Judei et Christiani; 2. de morte; 1. de Omnipotentia; 1. de voluntate Dei; 1. de lesione virginitatis.

HILDEBERTUS de Lavardino † 1136. Poema de concordia V. et N. Testamenti, tum. V. et N. Sacrificii; Prosa de Natali Domini; Sermo Synodicus.

RODULFUS Abb. S. Trudonis † 1138. collectionem decretorum; LL. 5. cont. Simoniacos.

GILBERTUS † 1139. libel. de statu Ecclesie.

HUGO a S. VICTORE † 1140. Annotationes. in scripturam et scriptores sacros; allegorias in V. et N. Testam.; excerptiones et commentaria in plures Scripturæ libros; summam sententiarum, cum aliis ad scripturam vel Theologiam spectantibus.

ORDERICUS VITALIS LL. histor. Ecclesiasticæ 1142. finitæ.

OTTO Ep. Frisingensis Chron. an. 1146. desinens.

MALACHIUS Ep. Armachanus † 1148., ut fertur, Prophetiam de futuris Rom. Pontificibus.

ROBERTUS PELLUS † 1150. LL. 8. Sententiarum de Trinitate.

CONSTANTINUS HARMENOPULUS circ. an. 1150. L. de sectis hæreticis; epitomen sacrorum Canonum.

GRATIANUS BOHON. an. 1151. Collectanea decretorum canonicorum, seu concordantiam discordantium canonum.

SUGERIUS † 1153. libel. de consecratione Ecclesie; Constitutiones; Testamentum.

WILHELMUS Claravallensis cir. an. 1153. præter Comment. et Ascetica speculum et enigma fidei; Disputationem cont. Abaillardum; L. de erroribus Guilielmi de Conchis; L. de Sacr. Altaris.

ANSELMUS Ep. Havelsbergensis † 1154. Dialogos 3. cont. Græcos.

PETRUS MAURITIUS cogn. venerabilis † 1156. TRACTATUS cont. Judæos; cont. Petrobusianos; cont. hæreses et sectam Saracenorum.

ECBERTUS Schœnaugiensis cir. an. 1160. Sermones cont. Catharos.

ARNOLDUS Capnotensis ad. 1162. superstes, TRACTATUS de opere 6. dierum, de 7. verbis Christi, de cardinalibus Christi virtutibus.

PETRUS LOMBARDUS Ep. Parisiensis † 1164. Libros 4. Sententiarum, seu summam Theologiæ ex Patribus methodo Scholastica digestam; Glossas in psalmos; Collectanea in epp. Pauli.

HUGO Ep. Rothomag. † 1164. LIBROS 3. de hæresibus; 3. de memoria dogmaturum; 3. de officiis et ministris Ecclesie.

PELAGIUS Ep. Ovetensis Chronicon universale ad an. 1170. pertingens.

JOANNES Cornubiensis cir. an. 1170. Eulogium seu de Philosophia et hæresibus; Summam de Eucharistia et ordinibus missæ.

THEORIANUS cir. an. 1170. dialogum; quo dogma Conc. Chalcedonensis auctoritate Patrum stabilitur.

RICHARDUS a S. VICTORE † 1173. LIBROS 6. de Trinitate; 1. de tribus personis; 1. de Incarnatione; 2. de Emmanuele; 4. Exceptionum; 1. de potestate ligandi et solvendi; EXPLANATIONES in Cantica et Apocalypsin; DECLARATIONES difficul-

tatum Scripturæ, præsertim de tabernaculo fœderis; de differentia sacrificii Abrahæ et David; de templo Salomonis; de concordia temporum Regum Juda et Israël; de visione et templo Ezechielis; de comparatione Christi ad florem, Mariæ ad virgam; de superexcellenti baptismo Christi; de Christo posito in signum; de Sp. S. missione; de Spiritu sancto, amore Patris et Filii; de aliquot dubiis Apostoli: TRACTATUS de gemino paschate; de judiciaria potestate in fine mundi; de spiritu blasphemie; de gradibus amoris; de differentia peccati venialis et mortalis.

HUGO ETHERIANUS LL. 3. cont. errores Græcorum an. 1177. Pontifici oblatos.

PHILIPPUS HARVENGIUS post an. 1180. Commentar. mysticum et morale in Cantica: TRACTATUS de lapsu primi hominis; de damnatione Salomonis; de somnio Nabuchodonosoris; de Clericorum dignitate et dotibus: Epistolas, carmina, vitas.

GUILIELMUS TYRIUS historiam belli palestini ad an. 1180. excurrentem.

ARNULPHUS Ep. Luxov. † 1182. Tr. de schismate pontificio.

JOANNES Sarisburiensis † 1182. Commentar. in epp. Pauli; Polycraticum, seu de nugis Curialium et vestigiis Philosophorum.

ANDRONICUS COMMENUS † 1185. Dial. cont. Judæos.

GODEFRIDUS Viterbiensis. Chron. universale an. 1186. desinens.

SAXO GRAMMATICUS historiam an. eodem terminatam.

PETRUS CELLENSIS † 1197. L. de conscientia; Sermones de tempore.

BALDUINUS Cantuar. † 1192. LL. de commendatione fidei; de Sacram. Altaris.

PETRUS COMESTOR † 1198. Historiam Scholasticam seu totius Scripturæ.

PETRUS BLESENSIS † cir. an. 1200. LIBROS vel TRACTATUS Instructionis fidei; de scriptoribus sacror. librorum; cont. perfidiam Judæorum; de confessione; de pœnitentia injungenda; de institutione Episcopi; de Eucharistia etc.

THEODORUS BALSAMON † seq. sec. initio Commentar. in canones Apostol. et Conciliorum; in Nomocanonem; collectionem canonum etc.

Plures tum scriptores tum scriptorum lucubrationes nominandi erant, si instituti ratio Patrum venerationi devota et Theologicæ eruditioni intenta recensere omnes postulasset. Prioris defectus fecit, ut scriptores hæreticos, schismaticos, aut impios passim ommitteremus: posterioris autem, ut meros Ascetas et Epistolographos quidem sobrie, historicos profanos et biographos parce, Philosophos autem et Grammaticos rarissime laudaremus; hæc opera scilicet illis relicta, qui Historiam litterariam universim prosequuntur.

## CAPUT II.

### DE THEOLOGIA ET JURISPRUDENTIA.

Geminam hanc disciplinam ad unum Caput reducimus; quia, cum Juris sacri scientiam sub titulo duntaxat hic indicamus, sicut utraque ex iisdem fontibus nascitur, sic neutra, nisi conjuncta, perfectum aut Theologum aut Jurisperitum constituit. Præmissa utriusque notitia brevi, de auctoritate cuilibet competente, quantum satis est, disseremus.

## ARTICULUS I.

*Quenam sit Theologiæ notio et historia.*

224. *Nota.* Theologia vi nominis idem sonat ac quæcumque de Deo sermocinatio: strictissime sumpta solam de divinitate tractationem significat; minus stricte, proprie tamen accepta, pro disciplina usurpatur, quæ de Deo rebusque divinis aut ad illum pertinentibus disserit. Ea, si solo naturæ lumine ducitur, et principiis naturalibus nititur; naturalis audit, et ad Metaphysicam spectat: si vero principiis nitatur divinitus revelatis et superni luminis adjutorio cognitis; supernaturalis est, et sicut per antonomasiam Theologia dicitur, sic nostræ disquisitionis argumentum constituit. Ad hoc vero tractandum nihil attinet spectare Theologiam, alteram beatorum, viatorum alteram, istamque dividere in infusam et acquisitam; cum instituti nostri ratio sermonem præsentem ad disciplinam in præsentī vita et proprio studio comparandam satis determinet. Porro istud Theologiæ genus universim dividere licet in didacticam seu præceptivam, et in mysticam seu affectivam; quarum ista voluntatem in Deum movet ac dirigit, ideoque Ascesis et Spiritualis vitæ magistris propria est; illa vero intellectum cognitionibus divinis imbuat, et hinc Scholarum Doctoribus et sacræ scientiæ magistris competit. Proxima Theologiæ didacticæ divisio in Positivam et Scholasticam communius quidem statuitur ab omnibus, sed a diversis diversimode exponitur. Juxta aliquos enim Positiva solum occupatur in Theologiæ principiis, quæ constitutiva diximus, examinandis, asserendis et stabiliendis; Scholastica autem ad alia pleraque Theologiæ principia et objecta etiam extenditur: juxta alios vero Positiva latius quidem quoad materiam protenditur; fidei tamen morumque dogmata duntaxat tractat, et ex solis principiis constitutivis ac directivis deducit; cum e contrario Scholastica dicatur in abstrusis solum ac metaphysicis quæstionibus versari, et rationi potissimum humanæ ac Philosophiæ inniti: a reliquis demum diversitas a sola methodo desumitur, cum juxta hos Positiva oratione sive plana et naturali sive elegantiore et rhetorica ad sua solum exponenda asserta procedat; Scholastica vero stylo simplici quidem et aperto, sed conciso ac presso, atque ad leges Dialecticæ strictamque Syllogisticen exacto suas positiones non tantum stabiliat, sed pugnam etiam vindicet ab oppositis.

Quamquam vero, quæ in Expositionum 3<sup>a</sup> de utraque, in 2<sup>a</sup> de Positiva, et in 4<sup>a</sup> de Scholastica proferuntur, facile admittamus; acceptionem tamen Positivæ in 1<sup>a</sup> nimis adscriptam et mancā censemus: illa autem, quæ de Scholastica 2<sup>o</sup> loco dicuntur, tanquam vitium aut præconceptam aliquorum opinionem falsam repudiamus. Quæ enim, præter fidei morumque dogmata certa, subtilius adhuc a germana scholasticæ pertractantur, ad ipsa hæc dogmata aut illustranda, aut firmanda, aut tuenda pertinent: argumenta autem, si quæ ex Philosophiâ et Ratione producuntur, vel contra Infideles principiis fidei haud acquiescentes, vel tanquam extranea et probabilia, non ad fundandam sed ad juvandam veritatem adjiciuntur; prout a S. Patribus factum videmus, et D. Thomas p. 1. q. 1. ostendit. Quare, cum pateat discrimen inter utramque vel ab extensione vel a methodo duntaxat desumi, divisa

nuper Theologia, quoad substantiam una eademque, aut Positivo-Scholastica vocari potest; hic autem pro genere proximo Theologiæ, de qua in præsens agimus, a nobis usurpatur.

225. *Dico I.* Theologiâ proprii nominis est disciplina sacra, quæ fidei morumque dogmata, ac veritates illis affines aut eo ordinatas ex principiis sacræ scientiæ deducit, rite disponit, stabilit, propugnat. Dicitur 1<sup>o</sup> *Disciplina sacra* tum ratione subjecti, quod est Deus; cum docente D. Thoma in sacra doctrina omnia pertractentur sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium vel finem: tum ratione scopi; qui est cognoscere et amare Deum et Jesum Christum. 2<sup>o</sup> *Fidei morumque dogmata*, tanquam actus Theologiæ primarios. 3<sup>o</sup> *Veritates affines aut eo ordinatas*; quæ quamvis actus secundarii sint, ad majorem tamen priorum elucidationem firmitatemque serviunt. 4<sup>o</sup> *Ex principiis sacræ scientiæ deducit*; quia primum Theologiæ munus est ea, quæ in Scripturis aut Traditione abdita continentur, in lucem velut e tenebris eruere, et quid inde consequens vel repugnans sit, elicere. 5<sup>o</sup> *Rite disponit*; quia secundum munus est inventa hujusmodi et deducta in unum velut corpus colligere, collecta in titulos et quæstiones distribuere, distributa congruo et facili ordine disponere; 6<sup>o</sup> *Stabilit*; quia tertium munus est, conclusiones dogmaticas juxta et theologicas omni argumentorum genere munire, explanare, illustrare. 7<sup>o</sup> *Propugnat*; quia munus quartum est, doctrinam sacram et sanam tueri, atque tum ab infidelium et hæreticorum sive calumniis sive sophismatibus, tum a Catholicorum sive errantium sive repugnantium difficultatibus aut tricis liberare ac præstare immunem. Cujusmodi officia varia adumbravit Augustin. L. 14. de Trin. C. 1. *Sapientiam*, seu rerum divinarum scientiam, illam enuntians, *qua fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud enim est scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam: aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur.*

226. *Dico II.* Theologia dupliciter dividitur; 1. ratione finis saltem immediati in *speculativam et practicam*: prior per se terminatur cognitione, et fidem aut scientiam parit; continetque sub se quæstiones circa Dei naturam, attributa, Trinitatem, Incarnationem, aliaque hujusmodi: posterior ad actionem tendit, et morum informationem aut sacrum exercitium dirigit; atque hinc circa principia actionum humanarum, regulas moralitatis, Leges, administrationem et usum Sacramentorum, aliaque ad praxin faciendā versatur. 2. Ratione materiæ ac in partes quasi subjectivas dividitur in *Scripturalem, Dogmaticam, Polemicam, Moralem, et Scholasticam*. *Scripturalis* seu *Scripturistica* Librorum sacrorum authentiam, numerum, argumentum, Auctores et Interpretes recenset; sensus varios ac genuinam intelligentiam scrutatur; versionem ad fontes, argumentum ad scriptionis qualitates, vim probandi ad critices regulas examinat; antilogias conciliat; controversias dissolvit; spectantia ad fidem, ad mores, ad jus, ad historiam aliasque scientias, observat. *Dogmatica* ex Verbo Dei scripto aut tradito fidei morumque dogmata et alias veritates revelatas eruit, auctoritate Ecclesiæ, Conciliorum, Pontificum

ac præsertim Patrum munit et illustrat. *Polemica* seu Controversa in iisdem veritatibus adversus fidei aut veritatis hostes propugnandis, istorum autem erroribus aut quorumcumque propositionibus censuram merentibus confutandis occupatur. *Moralis* seu Casuistica a principiis generalibus vel præactis vel præsuppositis ad specialia descendit, indeque prudenti facta applicatione particulares materias, quas conscientie casus vocant, decedit. *Scholastica* pure talis ex veritatibus revelatis elicit legitimas sanæ doctrinæ conclusiones, quæ ad fidei dogmata et morum principia aut illustranda, aut explicanda, aut firmanda conducunt; eoque extranea rationis et auctoritatis humanæ, necnon scientiarum naturalium subsidia non raro adsciscit. Ex his Theologiæ sive partibus sive speciebus vix ulla jam solitarie tractatur, sed plerumque mixta in scholis educitur, jam Scripturistico-Polemica, jam Dogmatico-Scholastica, jam alia, compositionem aliis iisque vel pluribus vel paucioribus membris integrantibus.

227. *Dico III.* Theologia hactenus descripta præformata est in Oriente, Seculo 8. a Joanne Damasceno in Libris tum Parallelorum tum orthodoxæ fidei; in Occidente Sec. 11. tum a Lanfranco tum maxime ab Anselmo Archiep. Cantuariensi in Libris tomum Editionis Gerberonianæ primum constituentibus, Edidit eandem Sec. 12. Petrus Lombardus Ep. Parisiensis in quatuor libris sententiarum: quorum 1<sup>mus</sup> doctrinam de Trinitate et Unitate Dei, 2<sup>us</sup> de Creatione mundi, præsertim Angelorum et hominum, ac de Gratia Dei, 3<sup>us</sup> de Incarnatione Verbi, deque Virtutibus et vitiis, 4<sup>us</sup> de Sacramentis et quatuor Novissimis potissimum ex Patrum effatis depromptam continet. Rude tamen etiamnum opus erat, iudice Melchioro Cano, et testimoniorum congeriem potius quam dispositionem et rationem Disciplinæ referebat. Eam tandem perfecit Sec. 13. Divus Thomas Aquinas in sua Summa Theologica, quæ aliorum ipsius librorum veluti compendium est, ex quibus supplementum etiam partis 3<sup>æ</sup>, quam Auctor morte occupatus finire haud poterat, est desumptum. Sub hujus seculi finem et initium sequentis Theologorum natio scissa est in tres sectas, seu, ut aiunt, vias; quarum 1<sup>ma</sup> Thomistica complectitur illos, qui D. Thomæ placita sectantur: 2<sup>a</sup> Egidiana eos, qui Egidii Romani, familia Columnensis, sententias amplectuntur: 3<sup>a</sup> Scotistica hos, qui Joannis Duns, vulgo Scoti, sensus tuerentur. Succedente tempore tum hæ ipsæ viæ divisæ in plures, ob diversa systematis proprii capita: tum 4<sup>a</sup> emersit, Recentiorum dicta, qui scilicet nullius magistri in verba jurare patientes systema Eclecticum aut novum constituerunt, quamvis ordinem vel Librorum sententiarum vel Summæ Thomæ non respuerent.

Vicissitudines alias aut fata Theologiæ enarrare, pretium ejusdem ac meritum extollere, illiusve famam vindicare a variorum hostium criminationibus nostri haud est instituti. Illud universim adnotasse sufficiat, commemoratam adhuc Theologiam secerni oportere a pseudoscholastica, quæ hominum vitio et abusu enata, aut quæstionum vanitate, aut levitate argumentorum, aut concertationum sive pertinacia sive fallacia, aut dictionum sive barbarie sive obscuritate jam sub prima initia damnationem Patrum Lanfranci, Anselmi et Bernardi, sub progressum exprobrationem Pontificum Gregorii IX. et Joannis XXII., sub adultam ætatem ad Sec. 16. usque vitupe-

ria Doctorum Joan. Gersonis, Nicolai Clemangi, et Melchioris Cani, quin et universalem prudentum contemptum sibi accersivit, nunc autem, Theosophia propitia, plerisque ex Academicis exulat.

228. *Observa.* Compendiariam Theologiæ œconomiam daturi, synopsis materiarum ex summa Theologica Doctoris Angelici hic subjicimus. Redundare illa subinde in Philosophicis, deficere autem aliquando in Theologicis quæstionibus videri poterit non nemini; qui vel scopum disputationis contra gentiles præsertim susceptæ ignoraverit, vel ex hæresibus postea exortis non meminerit necessitatem fuisse enatam, controversias nonnullas hac ætate tractandi uberius. Methodus disputandi universim continua non est; sed interpolata et secta in partes, quæstiones et articulos; speciatiim autem rationes dubitandi præmittit, tum subjungit assertum et probat, objectis demum difficultatibus respondendo satisfacit. Divisio totius operis fit in tres partes, quarum tamen altera in duas subdividitur, et hinc prior prima secundæ, posterior secunda secundæ compellatur. Partium harum et quæstionum illis contentarum titulos duntaxat damus, distincto etiam caractere illos notatos, qui sequentium velut capita quædam haberi possunt.

DIVI THOMÆ AQUINATIS  
SUMMA TOTIUS THEOLOGIÆ.

PARS PRIMA

DE DEO, TRINITATE, MUNDO, ANGELIS ET HOMINIBUS,

*Continet Questiones centum et novemdecim.*

Quæstio 1. De ipsa sacra doctrina. 2. De Deo, an sit. 3. De simplicitate Dei. 4. De Perfectione Dei. 5. De Bono in communi. 6. De Bonitate Dei. 7. De Infinitate Dei. 8. De Existentia Dei in rebus. 9. De Immutabilitate Dei. 10. De Æternitate Dei. 11. De Unitate Dei. 12. De Cognitione et Visione Dei. 13. De Nominibus Dei. 14. De Scientia Dei. 15. De Ideis. 16. De Veritate. 17. De Falsitate. 18. De Vita Dei. 19. De Voluntate Dei. 20. De Amore Dei. 21. De Justitia et Misericordia Dei. 22. De Providentia Dei. 23. De Prædestinatione Dei. 24. De Libro Vitæ. 25. De Potentia Dei. 26. De Beatitudine Dei. 27. De Processione sive Origine Divinarum Personarum. 28. De Relationibus Divinis. 29. De PERSONIS DIVINIS. 30. De Pluralitate Personarum in Divinis. 31. De pertinentibus ad Unitatem vel Pluralitatem div. Personarum. 32. De Cognitione div. Personarum. 33. De pertinentibus ad personam Patris. 34. De Verbo in Divinis. 35. De hoc nomine Filii, quod est imago. 36. De pertinentibus ad nomen Spiritus sancti. 37. De nomine Sp. S., quod est Amor. 38. De nomine Sp. S., quod est Donum. 39. De Personis in comparatione ad essentiam. 40. De Personis in comparatione ad relationes sive proprietates. 41. De Personis per comparationem ad actus notionales. 42. De æqualitate et similitudine div. Personarum ad invicem. 43. De Missione div. Personarum. 44. DE PRIMA CAUSA OMNIUM ENTIUM. 45. De Creatione. 46. De principio durationis rerum. 47. De distinctione rerum in communi. 48. De distinctione rerum in speciali et primo de Malo. 49. De causa mali. 50. De substantia ANGELORUM absolute. 51. De Angelis in comparatione ad corpora. 52. De Angelis in comparatione ad locum. 53. De motu locali Angelorum. 54. De virtute cognoscitiva Angeli. 55. De medio cognitionis Angelicæ. 56. De cognitione Angelica ex parte rerum immaterialium. 57. De cognitione Angelorum, quantum ad res materiales. 58. De modo cognitionis Angelicæ. 59. De Voluntate Angelorum. 60. De Amore seu dilectione Angeli. 61. De productione Angelorum in esse naturæ. 62. De productione Angeli in esse gratiæ et gloriæ. 63. De malitia Angelorum quoad culpam. 64. De pœna Dæmonum. 65. De opere creationis CREATURÆ CORPORALIS. 66. De ordine creationis ad distinctionem. 67. De opere distinctionis primi diei. 68. De opere secundi diei. 69. De opere tertii diei. 70. De opere quarti diei. 71. De opere quinti diei. 72. De

opere sexti diei. 73. De pertinentibus ad diem septimum. 74. De omnibus septem diebus in communi. 75. DE HOMINE QUANTUM AD ESSENTIAM ANIMÆ. 76. De unione animæ ad corpus. 77. De pertinentibus ad potentias animæ in generali. 78. De potentiis animæ in speciali, et primo de iis, quæ sunt præambula ad intellectum. 79. De potentiis intellectivis. 80. De Appetitu in communi. 81. De Sensualitate. 82. De Voluntate. 83. De Libero arbitrio. 84. Quomodo anima corpori unita intelligat corporalia, quæ sunt infra ipsam. 85. De modo et ordine intelligendi. 86. Quid intellectus hominis cognoscat in rebus corporalibus et materialibus. 87. Quomodo anima intellectiva cognoscat seipsam et ea, quæ in ea sunt. 88. Quomodo anima humana cognoscat ea, quæ sunt supra se. 89. De cognitione animæ separatæ. 90. De productione hominis quantum ad animam. 91. De productione corporis primi hominis. 92. De productione mulieris. 93. De fine sive termino productionis hominis, prout dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei. 94. DE STATU VEL CONDITIONE PRIMI HOMINIS quoad intellectum. 95. De pertinentibus ad voluntatem primi hominis, sc. de gratia et virtute et justitia. 96. De dominio, quod homini competeat in statu innocentie. 97. De pertinentibus ad statum primi hominis, quantum ad conservationem individui. 98. De his, quæ pertinent ad conservationem speciei per generationem. 99. De conditione prolis generandæ, quantum ad corpus in illo statu. 100. De conditione prolis tunc generandæ, quoad justitiam. 101. De conditione prolis tunc generandæ, quoad scientiam. 102. De Paradiso. 103. DE GUBERNATIONE RERUM in communi. 104. De effectibus divinæ gubernationis in speciali. 105. De mutatione creaturarum a Deo. 106. De actu Angelorum, qui est invicem illuminare. 107. De locutione Angelorum. 108. De ordinatione Angelorum secundum hierarchias et ordines. 109. De ordine malorum Angelorum scilicet Dæmonum. 110. De præsentia Angelorum super corporalem creaturam. 111. De actione Angelorum in homines. 112. De missione Angelorum ad homines. 113. De custodia hominum a bonis Angelis. 114. De impugnatione Dæmonum. 115. De actione corporalis creaturæ. 116. De Fato. 117. De pertinentibus ad actionem hominis. 118. De traductione hominis ex homine secundum animam. 119. De propagatione hominis quantum ad corpus.

PRIMA SECUNDÆ

DE BEATITUDINE, ACTIBUS HUMANIS, PASSIONIBUS, HABITIBUS, VIRTUTIBUS, PECCATIS ET VITIIS, LEGIBUS, GRATIA ET MERITO.

*Continet Questiones centum et quatuordecim.*

Quæstio 1. De Fine ultimo hominis in communi. 2. De BEATITUDINE HOMINIS, in quibus consistat. 3. De Beatitudine, quid sit. 4. De his, quæ exiguntur ad beatitudinem. 5. De adeptione beatitudinis. 6. DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO. 7. de circumstantiis humanorum actuum, in quibus voluntarium invenitur. 8. De voluntate quorum sit ut volitorum. 9. De motivo voluntatis. 10. De modo, quo voluntas movetur. 11. De fruitione, quæ est actus voluntatis. 12. De intentione, quæ est actus voluntatis. 13. De electione, quæ est actus voluntatis, in comparatione ad ea, quæ sunt ad finem. 14. De con-